



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Refutatio præcedentis sententiæ. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

ita dilucide eam exponere, ut cetera omnia, quæ ad Dei bonitatem spectant, perspicua fiant. Ne autem iterum eadem repetamus, explicantes naturam boni in vniuersum, simul etiam ostendimus, quæ ratione Deus bonus sit. Iam igitur more solito singulorum de hac re opiniones expendamus. Prima vero sententia sit Durandi in 2. d. 3. q. 1. n. 22. ubi postquam late impugnavit opinionem Heruæi, in explicationem suam duo docet. Primum est, bonitatem, seu rationem formalem boni in quacunque entitate esse relationem convenientiæ, non cum appetitu, ut quidam imponunt Durando, sed cum alia re: cumque asserat bonitatem esse entitatem quandam respectivam, sentit esse realem relationem, ut dicitur quoque affirmat eadem quæst. n. 11. In Deo tamen hanc relationem convenientiæ, quæ dicitur esse bonum, putat esse extrinsecam denominationem, sicut est denominatio creatoris. Addit postremo, in rebus creatis non eodem modo reperiri bonitatem. Quibusdam enim intrinsece, & primarie inesse existimat, ijs nimirum, quæ intrinsece alicui conveniunt, aut secundum habitudinem, causæ materialis, vel formalis, aut partis integritatis, aut demum formæ etiam accidentarie inharerentis: alijs vero rebus secundarie, & extrinsece, ijs videlicet, quæ bona dicuntur, quia alteri optime conveniunt, & congruunt, vel per modum causæ efficientis, vel alicuius extrinsece conditionis. Priori modo sanitas dicitur intrinsece bona homini; anima etiam, materia, & partes ipsius. Posteriori modo medicina est bona ægrotanti, per modum causæ efficientis; & urina, per modum signi.

Primo quidem bonitatem esse quid reale, nullo illo n. colligit Durandus ex Arist. 6. met. c. 2. text. 8. ubi inquit bonum, & malum esse in rebus, sicut verum, & falsum in intellectu. Secundo esse relationem convenientiæ, probat, quoniam ratio formalis boni idem est, quod ratio convenientis: ratio autem boni est bonitas, ergo bonitas est ratio convenientis, quæ cum nihil sit aliud, quam relatio convenientis, merito quoque ipsa bonitas dicitur relatio convenientiæ. Tercio relationem hanc convenientiæ Deo, & quibusdam rebus creatis extrinsece tantum tribuendam esse sic ostendit. Ratio convenientiæ eodem modo in rebus est, sicut ipsæ alijs convenire, & congrue dicuntur: sed Deus extrinseca tantum denominatione dicitur rebus creatis convenire, & res etiam creatæ alijs rebus creatis: ergo bonitas in Deo, & in quibusdam creaturis nihil est aliud, quam extrinseca relatio convenientiæ, quam in Deo putat esse ad creaturas. Denique eadem ratione probatur, quibusdam alijs rebus creatis bonitatem intrinsece convenire, sicut supra probatum est. Hæc est prior pars sententiæ Durandi.

Deinde asserit eodem num. 22. bonum, & ens reciprocari, non essentialiter, sed denominative; id quod ex priori parte plane deducitur. In cuius expositionem supponendum est, ex doctrina Heruæi, bifariam aliqua reciprocari, quod & ipse Durandus supponit in ea q. 1. n. 9. primum essentialiter, quoties vnum est, idem formaliter, & essentialiter cum alio, sicut realitas, & entitas, & in vniuersum, quæ solo nomine differunt, & synonyma sunt, ut ens, & gladius: deinde denominative, quoties duo ita se comitantur, ut vnum sine alio non sit, vnum tamen non sit aliud formaliter, & essentialiter.

Vaquez in 1. part. Tomus I.

liter, sicut homo, & risibile. Quocirca in eorum sententia rationale, & homo reciprocantur denominative, non essentialiter: Quia homo aliquid aliud præter rationale includit, ac proinde cum illo non est idem adæquate. Ideo autem hoc genus conversionis denominationum dicitur, quia vnum de alio instar accidentium in concreto prædicatur denominando illud; eodem enim modo videmus dicere, homo est rationalis, atque, homo est albus; cum tamen dici non possit, homo est rationalitas. Contra vero in ijs, quæ essentialiter convertuntur, & in abstracto, & in concreto mutua consequentia vnum ex alio inferitur, & prædicatur: atque ideo dicimus, si res est, ens est, & contra; similiter si realitas est, entitas est, & contra.

Hoc factio fundamento, probat Durandus in ea quæst. 1. n. 11. hanc posteriorem partem suæ sententiæ hoc modo. Illa essentialiter convertuntur, quæ non differunt vlllo modo re, neque ratione: ens autem, & bonum, entitas, & bonitas ratione differunt: Ergo non convertuntur essentialiter. Eorum vero differentia patet: nam aliqui dicere ens bonum, esset inutilis eiusdem repetitio: sicut si aliquis diceret, ens gladius: essetque ens, & bonum synonyma, sicut ensis, & gladius, quod est absurdum. Tum etiam entitas in sua ratione non includit relationem convenientiæ, quæ est ipsa: mer ratio bonitatis, ac propterea bonitas de entitate abstracte non prædicatur.

CAPUT II.

Refutatio præcedentis sententiæ.

Hæc opinio Durandi, quoad posteriorem eius partem, si recte intelligatur, vera est, ut inferius apparebit: quoad priorem vero, mihi non probatur: Quocirca, quæ in ea falsa videntur, paucis impugnavo. Primo igitur, quod asserit, bonitatem esse relationem convenientiæ, sic refellitur. Si bonitas, quæ est passio entis, esset relatio illa convenientiæ, sequeretur Deum non esse in se formaliter bonum ex eo quod in se, & ad se perfectus sit, sed ex eo quod ordinem habeat ad creaturas: quare non prius in se bonus esset, quam intelligerentur creaturæ possibiles, quibus tantum bonus esset; ac proinde natura Dei in se non esset bonitas ipsa, sed bonitatem haberet pendentem ex creaturis possibilibus. Respondet Durandus in ea quæstio 1. n. 26. Deum quidem non esse bonum nisi per ordinem ad creaturas: nihilominus non habere bonitatem pendentem ab illis: & si dicat, eam non habere communicatam a creaturis, sed relatam tantum ad ipsas: Et ita concedit hanc propositionem: Bonitas Dei pendet ad creaturas; quia hoc modo loquendi solus ordo, & relatio ad creaturas significari sibi videtur: negat tamen hanc propositionem. Bonitas Dei pendet a creaturis; quia ea denotarivideretur aliqua origo, & derivatio bonitatis Dei à creaturis. Absurdum autem non est aliqua Deo concedere per ordinem ad creaturas: quo pacto multas perfectiones ei tribuimus: Est tamē omnino falsum asserere, aliquā Dei perfectionem à creaturis derivare.

Verum hæc doctrina Durandi difficultatem argumenti propositi non dissolvit: neque enim ex eius sententia tanquam absurdum inferimus, Deum mendicare bonitatem à creaturis: Hoc namque, ut optime ipse notavit, nulla ratione colligitur.

K

ligitur.

ligitur: Sed inferimus, Deum in se, & ad se non esse bonum, & perfectum, sicut est sapiens, & infinitus, antequam intelligantur creaturæ possibiles; id quod ablatum etiam existimamus, ut latius patebit ex ijs, quæ dicemus disp. 104. de omnipotentia Dei, & disp. 154. de proprietate doni, quæ Spiritui sancto ex origine sua convenit. Nunc autem hac breui ratione monstrari potest. Quæ Deum consequuntur eodem necessitatis gradu, quo ipse Deus, & Trinitas est, existunt, & Deo conveniunt: quare sicut magis necessarium est, Deum esse, quam possibiles esse creaturas, ex quo etiam per locum intrinsicum deducitur, Deum alias fore, etiam si creaturæ non essent possibiles: Ita quoque Deus sic necessario est absolute bonus, & perfectus in se, ut si possibiles non essent creaturæ nihilominus bonus, & perfectus esset: Non ergo est bonus, quia creaturis conveniens est, imo vero eo quod in se infinite bonus, & perfectus est, creaturis etiam convenit, & bonus est.

Secundo, aliis rebus hoc modo non convenire bonitatem, quæ est passio entis, sic ostenditur. Nulla est res, quæ non sit absolute, & simpliciter bona, quæ si aliqua malæ dicuntur non absolute, & simpliciter, sed quibusdam malæ dicuntur: sicut venenum animantibus: paucissima vero aut nullæ omnibus alijs conveniunt, & bonæ sunt: Res igitur creatæ non dicuntur bonæ simpliciter ex respectu convenientiæ cum alijs, sed absolute, & secundum se ratione suæ entitatis. Porro quæ ratione res quibusdam sunt convenientes, & bonæ, alijs sunt malæ, & aduersæ: Ergo non potius dicendæ sunt bonæ, quam malæ: ac proinde bonum, & ens absolute non reciprocatur, aut non minus ens, & malum, quam ens, & bonum, mutua consequentia inuicem penderent: quod est absurdum; & in errorem Manichæi non parum declinat, qui affirmabat, quasdam esse substantias naturæ suæ malas, ut testatur Augustinus multis in locis, præsertim lib. 2. de moribus Manichæi, a. c. 1. vique ad 8. in quo eleganter ostendit omnem substantiam à Deo creatam in se bonam esse, quare inquit, sicut malum nihil est aliud quam privatio, & non esse substantiæ, quod ipse vocat in convenientiam inimicam substantiæ, & contra naturam; ita etiam quæcunque substantia, eo, quo substantia, est bona, non quia alteri conveniat: quemadmodum non est substantia malæ, quia alteri contraria sit.

Tertio, etiam si ratio bonitatis in relatione convenientiæ consisteret, non recte dixisset Durandus in ijs solum intrinsicè reperi quæ inhaerent alicui vel per modum formæ, vel per modum partis: in alijs vero extrinsece. Nam quamvis id quod est alteri conveniens per modum causæ efficientis, non sit primariè, & intrinsicè bonum, sed ratione effectus, ut Sol est bonus frigescenti ratione caloris, quem in ipso producit: Nihilominus aliquid, quod non inhaeret intrinsicè alicui rei, est ipsi bonum, & conveniens non remote ratione effectus, sed proxime ratione sui, obiectum videlicet respectu potentiae, hoc enim esse finem, & bonum proximum potentiae ratione sui, & non ratione effectus contra eundem Durandum probabimus, l. 2. q. 4. artic. 1. tum etiam non omnia, quæ in sunt rei, cui dicuntur convenire, intrinsicè relatione convenientiæ ad ipsam referuntur: partes enim integrantes aliquod totum, & ipsi contentientes ex sententia Durandi dicuntur ei bonæ,

sed relatione reali convenientiæ ad totum non referuntur, ut patet.

CAPVT III.

Dua alia sententia de eadem re.

Est alia opinio quorundam recentiorum, qui cum Durando conveniunt in eo, quod asserit bonitatem formaliter esse relationem convenientiæ unius rei cum altera: dissentiant tamen, quod putant, relationem illam in uniuersum esse rationis, & non realem. Hæc tamen sententia duabus prioribus rationibus contra Durandum factis eodem modo impugnari debet. Deinde facile potest ostendi, relationem convenientiæ inter aliqua interdum non minus esse realem, quam relationem dissimilitudinis, & contrarietatis. Verum hæc leuiora sunt, & quæ longiorem non possunt disputationem.

Alter sententia fuit Capreoli in 2. disp. 34. a. 1. conc. 2. & 3. asserentis, bonum formaliter consistere in relatione rationis ad appetitum, quam ipse appellat rationem perfectam alterius: quæ quidem opinio amplectenda non est. Nam si ipse intelligat, bonitatem esse relationem convenientiæ, ex qua sequitur, ut aliquid appetatur: eodem modo, atque sententiæ præcedentes, impugnanda est: Si vero intelligat esse relationem appetibilis, multo minus eius sententia nobis probatur. Etenim, ut optime notauit Caiet. in art. 1. & 4. huius quæst. ratio, aut denominatio appetibilis posterior est ratione boni, sicut ratio visibilis ratione coloris: appetibile enim dicitur extrinsece denominatione à potentia ipsa appetente, eo quod appeti potest. Quocirca prius est, posse appetere bonum, quam illud esse appetibile. Prius autem quam potentia intelligatur posse appetere, intelligitur bonum in obiecto: Ergo prior est ratio boni, quam appetibilis. Quæ doctrina ex ijs, quæ dicemus disputatione 104. cap. 2. perspicua fiet.

CAPVT IV.

Prior pars verioris sententiæ.

Superest solum sententia Heruæ, quam (licet Heruæ omnino mihi non probetur) referre, & impugnare ex professione non libet. Obiter enim nostram sententiam exponentes, quæ in ea minus vera sunt notabimus. Cuius gratia, & eorum, quæ dicenda sunt distinctio quædam bonitatis, aut boni præmittenda est. Tribus igitur modis aliquid dicitur bonum, primo, in seipso, quatenus in se bonum est, & non alteri. Secundo dicitur bonum, quod alteri bonum est, cuius ratio in relatione congruentiæ, & convenientiæ cum alio posita videtur. Hoc vero genus boni adhuc duobus modis contingere potest. Aut enim est in naturalibus, sicut calor in debita proportionem, & sanitas respectu animalis: Aut est in moralibus, & sic actio moralis, quæ dicitur esse secundum rectam rationem, aut conveniens naturæ rationali, ut rationalis est, illi bona est. Contra vero tribus etiam modis malum esse contingit, primo, quod opponitur bono absolute, & in se, Secundo, quod alteri minus conveniens est, aut contrarium, & hoc dupliciter, aut in naturalibus, aut etiam in moralibus: nam calor dicitur malus aquæ, & peccatum naturæ rationali, ut rationalis est.

Hoc iacto fundamento nostra in hac sententia in duobus consistit. Alterum est de bono relatione,

August.

Tertio impugatur alia pars eiusdem sententiæ.

Impugnatur secunda sententia.

Bonitatem consistere in relatione ad appetitum Capreoli sententia.

Impugnatur.

Caiet.

8

Boni triplex acceptio.

9

te,